

lor....<sup>1)</sup> Amicus noster Sedinensis Meyer d. XI Iunii puellam, vt dicit, pulcherrimam et sine dubio ditem amplexurus est. Nomen illi est Beurerin, Patria Norimberga. Aestuante et ferventem videre optarem; nonne et ipse hoc optares. Felicem se iam existimat, et fortuna contentus est, hinc felicissimum credo. Sed TV quid agis? Nonne et mox TIBI pulchellam amplecturo gratulandum est; fac vt de TVA fortuna laetari liceat, quemadmodum iam de Meyeri sorte laetor. Fac dum tempus est, et credas periculum esse in mora, ne, cuius auctor summus est parens optimus, nobile hoc genus Tuum pereat. Parentem optimum, quem Patris loco venerari numquam desinam, meis verbis salutes rogo. Salutes et matrem generosam, sororesque amabiles. Valeas ipse. Hafniae d. XI. Maii 1766.

Kongl. Msts. Troe Tjenere Professoren Vaelborne Herre  
von Linné a Vpsala  
fri bref

(95) Hafn. d. XIV. Iunii 1766. — Mitto praeterea literas a Dno Fabricio mihi missas, et alias a Koenigio datas cum subiunctis descriptionibus rerum quarundam naturalium Islandicarum. . . . Hisce praeterea adiuncta est pars altera fundamentorum Botanicorum Cl. Oederi. Hic iam Florae causa in comitatu Oldenburgensi et Delmenhorstensi circumfertur. Hinc in eius absentia non modo horti inspectionem habeo, sed et publicas praelectiones et herbationes hebdomade praeterita incepti. . . . De Collectaneis Forskåhlianis omnes iam silent, nec verbum de iis audio, nec scio vbi sint aut quomodo. Brünnichius nondum factus est Professor, sed iam peregrinatur, et redux fiet Professor Oeconomiae in Academia, non vero regius, vti olim B. Holm.

(96) Hafn. d. XXVI Iulii 1766. — Quod Oederum ita allegaturus sis, vti ille optat, pergratum mihi est. At et

<sup>1)</sup> Om Sendinger af Frø og Planter og om at Holm vil udgive et Svampeværk.